Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Homo quidam pauperculus qui ob crimina multorum perpetratorum circulis ferreis in utroque brachio fuit constrictus: et ex hoc gravissimis cotidie suppliciis afflictus, cum multorum sanctorum loca peragrando cruciatus remedio commissique sceleris abolicione perlustrasset, divina tandem inspiracione excitatus, ferri ligamen quod in uno gestabat brachio per sancti Adalberti merita amittere meruit. Deinde eciam quo sancti Wolfgangi famam per longinquas audivit regiones ad Ratisponam veniens, ibique ante sepulchrum eius oracioni insistens: alterius circuli cruciatu absolutus est.

Quomodo Regi Henrico in visione apparens per senarii numeri descripcionem imperialem designavit dignitatem Cap. xli

Henrico Rege nec dum cesaris vel imperatoris dignitatem obtinente apparuit sanctus Wolfgangus in somnis visione tali. Visum namque est ei quod maneret in sancti Emmerammi ecclesia. accederet orandi gratia ad beati Wolfgangi sepulchrum in ecclesia eadem situm. Cumque ibidem dominum sanctumque Wolfgangum precibus intimis conaretur exorare: subito videbatur ei ipse sanctus astare et huiusmodi verbis eum appellare. Intuere diligenter litteras in muro qui est secus tumulum meum scriptas. Erat autem ibi sicut videbatur solummodo scriptum post sex. Evigilans vero Henricus rex tractacione diuturna secum revolvit paucissima huius visionis scripta. In primis igitur arbitratus est quod post sex dies esset moriturus. multa dispensavit pauperibus. Cum autem sex dierum numerus preteriret. et nil in se corporalis molestie sentiret. putavit ad sex menses pertinere. et eciam cepit timere. Translacto vero et huius numeri spacio. nichilque eo infirmitatis passo arbitratus est hunc numerum ad sex annos pertinere. quem ut supra cepit timere. Cumque sex annorum numerus integer pertransisset. et septimi anni dies revolutus venisset. cesaris dignitatem per apostolicam suscepit consecracionem. Tunc tandem senciens qualis esset sua visio: gracias egit deo sanctoque Wolfgango qui sibi talem revelare est dignatus dignitatem.

De quodam ceco illuminato Cap. xlii

Quidam lumine cecitate multatus ad sepulchrum beati Wolfgangi accessit. Cumque ibi preces uberrimas effudisset. subito viso recepto exauditus deo sanctoque presuli gracias egit.

De muliere debili apud eius tumulum sanata Cap. xliii

Alio quoque tempore mulier quedam debilis pro spe recuperande salutis deportata est a suis in ecclesiam beati Emmerammi martiris. In qua dum ante altaria reptando magis quam ambulando peticione sedula sanctorum exquisisset suffragia: tandem ex labore vel egritudine fatigata secus tumulum sancti presulis Wolfgangi resedit humi. Cumque misella corpore ac mente inclinata eius precibus ac meritis se adiuvari exoraret. subito lateris ceterorumque membrorum contractio nodosa est soluta. et tam vehementer dirupta. ut sanguinis effusio deflueret in pavimentum. Tunc mulier primum extrita pre timore cepit clamare: demum exiliens sana grates reddidit deo sanctoque Wolfgango.

De quodam egroto per eius meritum sanato Cap. xliiii

Homo quidam nimis egrotus. orandi gratia venit in beati Emmerammi ecclesiam. Ubi dum se sanctorum meritis postularet liberari ab inherente sibi diutina egrotacione demum decubuit iuxta sancti Wolfgangi tumbam: ibique feliciter soporatus quendam